

per ostentationem et officiorum ambitum transigunt, labor  
 7 et periculum placuisset. nec Agricola prosperitate rerum  
 in vanitatem usus, expeditionem aut victoriam vocabat victos  
 continuisse; ne laureatis quidem gesta prosecutus est, sed  
 ipsa dissimulatione famae famam auxit, aestimantibus quanta 5  
 futuri spe tam magna tacuisset.

19 Ceterum animorum provinciae prudens, simulque doctus  
 per aliena experimenta parum profici armis, si iniuriae  
 2 sequerentur, causas bellorum statuit excidere. a se suisque  
 orsus primum domum suam coërcuit, quod plerisque haud 10  
 minus arduum est quam provinciam regere. nihil per  
 libertos servosque publicae rei, non studiis privatis nec ex  
 commendatione aut precibus centurionem militesve adscire,  
 3 sed optimum quemque fidissimum putare. omnia scire, non  
 omnia exsequi. parvis peccatis veniam, magnis severitatem 15  
 commodare; nec poena semper, sed saepius paenitentia  
 contentus esse; officiis et administrationibus potius non  
 peccaturos praeponere, quam damnare cum peccassent.  
 4 frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum  
 mollire, circumcisis quae in quaestum reperta ipso tributo 20  
 gravius tolerabantur. namque per ludibrium adsidere clausis  
 horreis et emere ultro frumenta ac luere pretio cogebantur.  
 5 divortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut  
 civitates proximis hibernis in remota et avia deferrent,  
 donec quod omnibus in promptu erat paucis lucrosum 25  
 fieret.

20 Haec primo statim anno comprimendo egregiam famam

